

manu nostra consecrauimus, hanc ordinationem fecimus: quod ei post Archiepiscopum nullus praesit, nisi sacerdos ei ordinatus, cui hos redditus communi voluntate fratrum ibi assistantium concessimus: vineam vnam in Biaci, quam a quodam Tragurino, filio Firmini Calogeorgii, iustitia dictante, iudicio Pirsemiri, tunc Tragurii Comitis, recepimus. Cuius causae praestaldus est Cerne, filius Cipriani; testes sunt Petrus Iupanus, filius Gregorelli, et Martinus de Benedicite; et alii quamplures; et itidem in Biaci terram ad duos boues; bouem et vaccam. Statuimus siquidem, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Quisquis vero ausu temerario id facere attentauerit, indignationem Omnipotentis Dei, et nostram, et fratrum nostrorum maledictionem se nouerit incursum; et S. Domnio componat centum marcas argenti. Praecipimus insuper quod praesens scriptum in maiori Ecclesia sub cura canonicorum seruetur, qui loco nostri, dum Ecclesia vacat, tam Episcopis, in quibus Ecclesiae obedire iuramento tenentur, quam universo Clero nostrae Diaecesis de iure praesunt, et auctoritatem habent imperandi, ut si alicui violentia fuerit illata, habeat illuc recursum, et si opus fuerit per censuram Ecclesiasticam eorundem Canonicorum iuxta considerationem puniantur nolentes nostra statuta observare. Vt autem haec ordinatio, quam his personis praesentibus et approbantibus statuimus: Flascone, Tiniensi Episcopo; Michaële, Traguriensi Episcopo; Michaële, Scardonensi Episcopo; Matthaeo, Nonensi Episcopo; Miraeo, Signiensi Episcopo; Matthaeo, Corbauensi Electo; Micha, Pharensi Electo; Isaac, S. Stephani Abbate; Vincentio, Traguriensi Abbate; Dujmo, S. Domnii Primicerio; Ioanne sacrista, cum toto eiusdem Ecclesiae Capitulo; Vilcotta, Archipresbitero de Clissa; Vilcotta, Archipresbitero de Kileo (seu Kalco); Gaudio, Archidiacono Traguriensi, cum suis Clericis; Prasez, Archipresbitero Scardonensi, cum eiusdem Ecclesiae Clericis; Desimiro, Licensi Archipresbitero, cum Clericis eiusdem Ecclesiae; Radona, Busanensi Archipresbitero, cum Clericis eiusdem Ecclesiae; Decomiro, Nonensi Archipresbitero, et Petro Primicerio, cum reliquis eiusdem Ecclesiae Clericis, firma, stabilisque permaneat; per Cancellarium nostrum Albertum, S. Bartholomaei Praepositum, fecimus conscribi et insigniri propriis sigillis. Datum Spalati in Ecclesia S. Andreae Apostoli, per manum supra dicti Praepositi, Alberti, Cancellarii nostri.

Farlati: Illyricum Sacrum T. III. p. 213—214. — Katona H. C. R. H. Tom. IV. p. 300. sqq. — Fejér. Codex Dipl. R. H. p. 220.

*(Idem Concilium per Vrbanum III. PP. eodem anno 1185 ratihabitu. Vide Fejér Codex Dipl. T. II. pag. 225.)*